*Neununddreissigster Jahresbericht*

über das

# Königl. Gymnasium zu Coesfeld,

*(Schuljahr 1866 — 67)*

mit welchem zu der

## öffentlichen Prüfung der Schüler

am 24. und 26. August

und zu der

am Nachmittage des 26. August Statt findenden

## feierlichen Entlassung der Abiturienten

ehrerbietigst einladet

der Director des Gymnasiums

Prof. Dr. SCHLÜTER.

---

Vorhergeht die Abhandlung des Oberlehrers Dr. theol. et philol. Wilhelm Hillen:
*Clemens Alexandrinus quid de libris sacris novi testamenti sibi persuasum habuerit.*

---

COESFELD, 1867.

Druck der Buchdruckerei von B. Wittneven, Vater.

## Clemens Alexandrinus quid de libris sacris novi testamenti sibi persuasum habuerit.

Hujusce annuae scriptionis conficiendae provincia quum ad me delata esset, diu quamnam rem hoc loco potissimum tractarem, dubitavi, duo hoc loco momenta spectanda esse ratus, ut et litteris quantulacumque fieret accessio et invenes hinc aliquam sive ad vitam moresque excolendos, sive ad scientiam augendam perciperent utilitatem. Jam vero librorum sacrorum integritatem et auctoritatem omnis religionis christianæ firmissimum fundamentum esse cogitans eosque ipsos nostra ætate a multis negligi et omitti, vel etiam impugnari et infringi mecum reputans utrique postulato satisfacturus esse mihi videbar, si ejus viri de libris sacris novi testamenti sententiam afferrem, qui et tempore, quo viguisset, et doctrinae omnis generis copia, qua ornatus esset, summam semper omnibus viris, qui in litteris christianis paulum versati essent, sui reverentiam attribuisset. Vixit enim Titus Flavius Clemens exeunte altero post Christum natum saeculo, quo tempore quidquid ab apostolis aliisque primis Domini discipulis traditum erat, viva etiamtum voce ferebatur; vixit Alexandriae, quam in urbem omnis animi cultus omnisque humanitas confluxit; ipse denique summa omnis generis doctrina instructus nihil unquam pro vero admisit, cujus non certam exploratamque haberet causam. Hujus igitur viri de libris sacris novi testamenti sententiam cognoscere quum per se satis habeat jucunditatis, tum certe plurimum ad firmandam in juvenum animis de horum librorum fide atque auctoritate persuasionem, unde omnis fidei Christianae firmitas pendet, momenti habet.

Jam rem propositam ita tractabimus, ut primum quid Clemens his libris auctoritatis tribuerit, tum quibus finibus librorum sacrorum canonem circumscribendum putaverit, deinde quid de eorum interpretatione senserit, exponamus.

### I. *De auctoritate librorum sacrorum.*

Quantum, ut hinc exordium sumamus, Clementis tempore in universum libri sacri valuerint, inde maxime apparet, quod Christiani non solum hora matutina, verum etiam saepius per diem eos evolvere inbentur. Cf. str. 7, 7, p. 800 fin. ed. Potter. ubi Gnostici i. e. perfecti Christiani vita his verbis describitur: „Universa autem ejus vita tamquam quidam dies festus est. Atque ei quidem sacrificia sunt ipsae preces et laudes et quae ante cibum fiunt scripturarum lectiones; psalmi autem et hymni dum cibus sumitur et antequam

catur cubitum, sed et noctu rursus orationes." Cf. paed. 2, 10 p. 228. Jam sexcenti Clementis loci docent, ab eo omnia librorum sacrorum verba vera Paedagogi i. e. Christi, vel ut alias cum Clemente Romano dicit, spiritus sancti dicta habita esse. Protrept. cp. 8. enim, ut exemplum afferam, postquam librorum sacrorum nonnullis locis usus gentilium errores aggressus est, cp. 9. initio ita pergit: „Possem etiam alias tibi scripturas afferre paene innumerabiles, quarum ne *apex quidem unus praeteribit* (Matth. 5, 18.), qui non perficiatur. Spiritus enim sanctus, qui domini quasi os est, ea est locutus." Nec mirum, quum apostolus ipse libros sacros *θεοπνευστοὺς* dicat. „Doctrinam" enim christianam „quum apostolus vere divinam esse sciat: *tu autem, inquit, o Timothee a puero sacras litteras novisti, quae te possunt sapientem reddere ad salutem per fidem quae est in Christo* (2. Tim. 3, 14, sq.); fieri enim nequit ut illae litterae non sint sacrae, quae non modo sanctos, sed etiam divinos faciunt. Unde scripturas etiam illas seu volumina, quae ex his litteris syllabisque sacris constant, apostolus appellat *divinitus inspiratas*, ut quae essent utiles ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem in justitia, ut perfectus sit homo dei *ad omne opus bonum instructus* (1. Tim. 3, 16 sq). Neminem certe aliorum sanctorum hortationes perinde commovebunt, ac ipse dominus, qui genus humanum tantopere dilexit." Propterea libri sacri sunt *ἀρχὴ ἀναποδεικτικός*. Cf. str. 7, 16, ubi duplicem, qua vera fides ab haeresi distingui possit, viam affert, ac priorem quidem ad libros sacros recurrendo ex eisque de vera domini doctrina judicium ferendo, alteram examinando, utra fuerit antiquior traditio, quae in ecclesia, an quae apud haereticos vigeat. Ad priorem sententiam firmandam p. 890: „Tales, inquit, (virgines sc. qualis Maria mater domini post partum fuit) sunt nobis scripturae dominicae (*ἁι κυριακαὶ γραφαὶ*), veritatem parientes et manentes virgines cum occultatione mysteriorum. — Principium enim doctrinae habemus dominum, qui et per prophetas et per evangelium et per beatos apostolos (*διά τε τῶν προφητῶν, διά τε τοῦ εὐαγγελίου καὶ διὰ τῶν μακαρίων ἀποστόλων*) multifariam multisque modis (Hebr. 1, 1.) a principio ad finem duxit cognitionis.*] Principio autem si quis alio opus habere existimaverit, non utique vere poterit manere principium. Qui est ergo ex se ipso fidelis, ei merito fides habetur in dominica scriptura et voce, quae per dominum operatur ad hominum beneficium. Ipsa autem tamquam criterio utimur ad res inveniendas. Quidquid autem judicatur, non creditur, priusquam fuerit judicatum, quare nec est principium id, quod opus habet judicio. Merito ergo quum fide comprehenderimus principium indemonstrabile, ex abundanti etiam ab ipso principio de principio demonstrationes sumentes voce domini erudimur ad cognitionem veritatis. Neque enim hominibus sumpliciter enunciantibus fidem habeamus, quibus licet etiam enunciare contrarium. Si autem non satis est, simpliciter quod videtur dicere, sed insuper oportet probare quod dictum est, tum non exspectamus testimonium hominum, sed voce domini probamus quod quaeritur, quae est magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius quae est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solum gustavere scripturas sunt fideles."

---

*] Principium quid hoc loco sibi velit, Aristoteles, quem in dialecticis Clemens fere semper sequitur, analyt. poster. 1, 11. his verbis dicit: „Principium autem demonstrationis est propositio immediata. Immediata autem est quâ non est alia prior".

Ipsam quoque rationem modumque, quo haec prophetarum apostolorumque inspiratio facta sit, saepius Clemens quamvis obscure significat. Hominem enim cum aliis patribus veteribus instrumento musicali comparat, quod a Logo inspiratur seu pulsatur. Cf. protrept. p. 5. „Verbum autem dei, quod ex David natum ante eum fuit, lyra et cithara, quae sunt inanima instrumenta contemptis, mundum hunc et hominem, qui parvus quidam mundus est, ejusque animam et corpus divino spiritui attemperans, multarum vocum instrumento deum celebrat, et huic instrumento, nempe homini, accinit. Tu enim es cithara et tibia et templum meum. Cithara quidem propter harmoniam, tibia propter spiritum, templum autem propter verbum, ut illa resonet, ista inspiret, hoc vero contineat dominum." Idem dicit str. 6, 11. p. 784: „Populus enim, qui fit salvus, dici potuerit cithara per Logi inspirationem; et qui per dei cognitionem musice glorificat, exauditur, verbo pulsans ad fidem." *]

Proposita Clementis de divina librorum sacrorum auctoritate persuasione, jam per se patet, humanam quoque eum fidem his libris tribuisse. Atque praeclarum hujus fidei testimonium exhibet str. 6, 3. init.: „Jam vero non solum convincuntur (Graeci sc.) a barbaris (i. e. a Judaeis) dogmata surripere sua, sed et imitari quae apud nos divina virtute ab iis, qui sancte vixerunt, dum nostri curam gerunt, fiebant admirabiliter et praeter opinionem, eaque tamquam Graecas fabulas prodigiose narrantes. Atque eos quidem rogabimus, verane ea, quae scribunt, esse dicant, an falsa. Sed falsa quidem non dicent, non enim se ipsos sua quidem sponte maxime damnabunt stultitiae, quod falsa scribant, sed vera esse confitebuntur. Et quomodo eis adhuc videntur incredibilia, quae per Moisen et alios prophetas facta sunt miracula? Omnium enim curam gerens deus omnipotens alios quidem praeceptis, alios vero minis, et nonnullos quidem signis prodigiosis, aliquos vero benignis convertit ad salutem promissis." Expositis deinde nonnullis miraculis, quae Graeci ex veteris testamenti libris decerpta in suas fabulas converterint, de miraculo in Sina monte facto haec disserit: „Quomodo autem sunt Graeci adhuc non credituri, apparuisse deum in monte Sina, quo tempore ardebat quidem ignis nihil consumens ex iis, quae nascebantur in monte, et tubarum ferebatur sonitus, qui absque ullis ferebatur instrumentis. Ille enim dei in montem descensus divinae potestatis est adventus, quae pervadit omnem mundum praedicatque lucem, ad quam aditus non datur. Talis est enim scripturae conveniens allegoria." Sed omnis fidei libris sacris habendae ea altissima causa est, quod dei filius ipse eorum auctor est. Nam „si quis paulo magis tragice dixerit non credendum:

*Nam Jupiter non fuerat, haec qui dixerat,*

is sciat, ipsum deum per filium praedicasse scripturas. Fide dignus autem est is, qui sua annunciat; quoniam *nemo*, inquit dominus, *novit patrem nisi filius et cui filius revelaverit.* Est ergo hoc credendum ex Platonis quoque sententia, etiam si absque probabilibus et necessariis demonstrationibus per vetus et per novum testamentum praedicetur et dicatur."

---

*] Cfr. Athenagoras legat. p. 36 de prophetis: „Spiritus, inquit, eodem modo per illos operatus est, quo tibicen inflat fistulam." Vide etiam Justin. paraen p. 61.

## II. *Quibus finibus Clemens librorum sacrorum canonem circumscribendum putaverit.*

Cognito igitur, quanti Clemens libros sacros aestimaverit, jam in eo sumus, ut quosnam libros inter sacros referendos esse censuerit videamus. Clemens ipse hac de re copiosius se disputaturum esse affirmat str. 4, 1., loco sane satis obscuro, ita tamen ut non tam testimoniis causisque aliunde petitis, quam ipsa quae libris sacris insit quamque in evangelio et per filium et per apostolos promulgando deus exhibuerit, vi divina rem perficere voluisse videatur. Hoc enim loco rerum tractandarum summam proponens inter alia haec scribit: „Quibus fuerit consequens, ut postquam theologiam cursim percurrerimus ea quae de prophetis tradita sunt, tractemus; ut, quum etiam scripturas, quibus credidimus, validas ac ratas esse omnipotenti auctoritate ostenderimus (τὰς γραφὰς-κυρίας οὔσας ἐξ αὐθεντείας παντοκρατορικῆς ἐπιδείξαντες) serie possimus per ipsas progredi et hinc omnibus haeresibus unum deum ostendere“ cett. Hoc propositum num et quomodo Clemens persecutus sit, quoniam in sequentibus stromatum libris quod eum in finem spectet nihil reperitur, certo quidem affirmare non possumus. Sed quum Eusebius h. e. 6, 14 Clementem tradat in libris ὑποτυπώσεων, quos cum stromatum libris intime conjunctos fuisse mox alio loco demonstrabimus, ἐπιτετμημένας διηγήσεις omnium librorum sacrorum fecisse, hoc quidem quin ad nostram rem pertinuerit dubium non esse videtur.

Ex locis supra laudatis apparet, eandem Clementi atque ceteris patribus probatam esse novi testamenti divisionem in τὸ εὐαγγέλιον et τὸν ἀπόστολον. Cf. str. 7, 3 p. 836: „Nam se ipsos redigere in captivitatem et se ipsos interimere veteri qui per cupiditates corrumpitur homine interfecto novoque suscitato a veteri mortis conversatione et evangelium jubet et apostolus.“*] Quos libros Clemens canonicos habuerit, Eusebius h. e. 6, 14. his verbis exponit: „Idem (sc. Clemens) in libris ὑποτυπώσεων omnium, ut uno verbo dicam, utriusque testamenti scripturarum compendiosam instituit enarrationem, ne illis quidem praetermissis scripturis, de quibus inter multos ambigitur, Judae epistolam et Barnabae ac reliquas catholicas epistolas intelligo et revelationem quae dicitur Petri.**] Idem nobis Eusebius l. c. veterem traditionem de quatuor nostris evangeliis a Clemente memoriae proditam affert: „Sed et in iisdem libris Clemens traditionem quandam de ordine evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum. Dicebat ex evangeliis prius scripta esse illa, quae seriem generis dominici continent. Marci autem evangelium

---

*] Hujus divisionis si non auctor est, certe jam ansam dederat Ignatius, qui quum saepius evangelium prophetis, i. e. novum testamentum veteri opponat, ad Philad. cp 5: „Confugiens, inquit, ad evangelium tamquam ad carnem Jesu et ad apostolos velut ad ecclesiae presbyterium, sed et prophetas diligamus, propterea quod et ipsi evangelium annunciaverint.“

**] Ad postrema verba recte admonet Kirchhofer: Quellensammlung zur Geschichte des neutestamentlichen Canon's. Zürich 1844, p. 46: Wenn Clemens Erklärungen (ἐπιτετμημέναι διηγήσεις summaria potius atque epitomae fuisse videntur) der Schriften gegeben und selbst nicht die ausgelassen hat, gegen welche ein Widerspruch obwaltete, als den Brief Petri, die andern katholischen Briefe, den Brief des Barnabas und die Offenbarung des Petrus, so ist damit nicht gesagt, dass er allen diesen Büchern eine gleiche Autorität zugeschrieben; man sieht im Gegentheil aus seinen Citaten, dass er einen Unterschied in der Ehrerbietung gegen die Evangelien und die Briefe der Apostel und gegen die andern Schriften macht.

ex hujusmodi occasione scriptum fuisse. Quum Petrus in urbe Roma verbum dei publice praedicasset et spiritu sancto afflatus evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jam dudum sectatus fuisset et dicta ejus memoria teneret, ut quae ab apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod quum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec uti fieret incitavit. At Johannes omnium postremus quum videret, in aliorum evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino spiritu afflatus spirituale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit. Hactenus Clemens." *] Quamquam diversum hoc loco ab aliis patribus, quorum plurimi in evangeliis recensendis primum locum Matthaeo, alterum Marco, tertium Lucae, quartum Johanni tribunt**] evangeliorum ordinem Clemens affert, tamen quae nunc quoque canonica habentur quatuor evangelia a Clemente vera habita esse elucet, id quod gravioris etiam momenti tibi erit, si Clementem in his rebus nihil nisi quod a senioribus presbyteris acceperit, litteris se tradere profiteri memineris. Cf. str. 3, 13 p. 553. ubi Cassianum Gnosticum dictum aliquod Domini afferentem sic refutat: „Primum quidem in nobis quatuor traditis evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo quod est secundum Aegyptios."

His ita expositis, singulorum evangeliorum ex Clementis libris testimonia afferre vix necessarium est. Sed tamen et ipsa laudandi ratio et alia quaedam momenta hoc loco quae memorentur digna esse videntur. Protr. p. 4. quae verba leguntur ap. Matth. 3, 9. sic afferuntur: „Testis nobis procedat prophetica vox veritati consonans." Magni momenti est str. 1, 21. p. 409: „In evangelio autem secundum Matthaeum quae ab Abraham deducitur genealogia usque ad Mariam matrem domini terminatur. Sunt enim, inquit, ab Abraham usque ad David quatuordecim generationes et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim et a transmigratione Babylonis usque ad Christum similiter aliae generationes quatuordecim", unde liquide apparet, primum hujus evangelii caput, quod jam tum temporis ab haereticis ut spurium rejectum esse scimus, a Clemente genuinum habitum esse. Celeberrima illa quaestio, utrum hoc evangelium ab initio Graeco an Hebraico sermone conscriptum sit, Clementis aetate nondum orta fuisse videtur; apud ipsum certe de ea nihil legimus. De evangelista denique duas res memorabiles Clemens affert; ac primum quidem abstinentiae exemplum est paed. 2, 1. p. 174: „Matthaeus itaque apostolus seminibus, baccis et oleribus absque carnibus utebatur." Deinde str. 4, 9. p. 595. Matthaeus martyrium non passus Clementis sententia diem supremum obiisse videtur, qua quidem in re plurimi veteres scriptores contradicunt. De Marco praeter ea, quae supra ex Eusebio a Clemente memoriae prodita attulimus, hunc locum afferre placet, qui legitur in Clementis adumbrat. in prior.

---

*] Paulo aliter Marci evangelii originem Clementem in sexto ὑποτυπώσεων libro memoriae mandasse idem Eusebius l. c, 2, 15 scribit: „Quod (sc. Marcum evangelium scribere) quum Petrus per revelationem sancti spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum sua auctoritate comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesia legeretur, Refertur id a Clemente in sexto ὑποτυπώσεων libro, cui testis etiam accedit Papias, Hieropolitanus episcopus."

**] cf. Kirchhofer l. c. p. 46.

Petri epist.: „*Salutat vos. Marcus filius meus.* Marcus Petri sectator palam praedicante Petro evangelium Romae coram quibusdam Caesareanis equitibus et multa Christi testimonia proferente, penitus ab eis ut possent quae dicebantur, memoriae commendari, scripsit ex his, quae Petro dicta sunt, evangelium, quod secundum Marcum vocitatur."

De Lucae evangelio unum hoc loco commemoro: Clemens str. 1, 21, p. 407 ad chronologiam constituendam ad Lucam evangelistam nominatim provocat ejusque verba, quae leguntur 3, 1—2 affert. Johannis quidem evangelistae Clemens nobis testis est relegationis Patmum in insulam factae. Cf. Quis div. salv. cp. 52: „Audi fabulam, quae ipsa non fabula sed vera de Johanne apostolo tradita narratio sit, ac memoriae studiose commendata. Quum enim post tyranni obitum e Patmo insula Ephesum rediisset, vicinas quoque gentes rogatus visebat, partim quidem ut episcopos constitueret, partim vero, ut integras ecclesias disponeret ac formaret, partim etiam ut unumque eorum, quos spiritus designaret, in clerum cooptaret." (Sequitur suavissima illa narratio de juvene ab apostolo educato et baptizato, qui quum post in latrones incidisset, ab eodem apostolo ad meliorem frugem reductus est.) Johannis evangelium quum saepissime laudetur, unum hoc loco monere liceat, Clementem Joh. 1, 3. semper scribere: *οὐδὲ ἓν* pro *οὐδὲν*.

Jam apostolorum actus Clementi notos esse quum ex str. 1, 11 p. 346. (*ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων*, ubi laudatur act. 17, 18.) pateat, tum str. 5. p. 584. aperte Lucae auctori tribuuntur: *καὶ ὁ Λουκᾶς ἐν ταῖς πράξεσι.* Eo quoque loco quem ex adumbrat. in pior. Petri epist. laudavimus, Clemens statim sic pergit: „Sicut Lucas quoque et apostolorum actus stilo exsecutus agnosceret et Pauli ad Hebraeos interpretatus epistolam."

De Paulo apostolo plura apud Clementem memoratu digna occurrunt. Ac primum quidem Paulus Clementis sententia ante conversionem uxorem duxerat. Cf. str. 3, 6. p. 576. „Paulus quidem certe non veretur in quadam epistola suam appellare conjugem, quam non circumferebat, quum non magno ei esset opus ministerio. Dicit itaque in quadam epistola": (sequitur 1. Cor. 9, 5.) Sed tamen in apostolorum numerum evectus coelebs apostolus vixit, quam Clementis sententiam fuisse quum ex hoc ipso loco perspicuum sit, tum p. 534. aperte elucet: „Sed si accinctus quis esse velit et expeditus, non volens procreare liberos propter eam quae est in procreandis liberis molestiam et occupationem, maneat, inquit apostolus, *ἄγαμος ὡς κἀγώ.*" Quamdiu apostolus publice evangelium praedicaverit, paulo sane obscurius docet Clemens str. 7, 17 p. 899: „Apostolorum autem doctrina usque ad Pauli ministerium Neronis tempore consummatur." Quanta Pauli, quamquam apostolorum recentissimus neque cum ipso domino in terris versatus erat, auctoritas et apud Clementem et apud lectores scriptorum ejus fuerit, inde jam satis patet, quod saepissime a Clemente, ut nostra quoque aetate per antonomasiam simpliciter *ὁ ἀπόστολος* nominatur; idemque paed. 1, 6 p. 127 docet: „Propterea ergo qui in apostolo erat sanctus spiritus domini voce utens dicit mystice: Lac vobis potum dedi (1. Cor. 3. 2)." Quamquam Paulus spiritus sancti auctoritate instructus erat, tamen quidquid scripsit, veteris testamenti auctoritate comprobavit. Cf. str. 4, 21 s. f.: „Sciendum est autem, quod, etsi Paulus sit tempore recentior, ut qui statim floruerit post domini assumptionem, ejus tamen scriptura pendet ex vetere testamento, illinc et spirans et loquens. Nam fides in Christum et evangelii cognitio et expositio et legis adimpletio et

ideo dictum est Hebraeis: *Nisi credideritis, non intelligetis* (Jsa. 7, 9), hoc est: nisi ei credideritis, qui per legem est praedictus et a legis oraculo est significatus, non intelligetis vetus testamentum, quod ipse per propriam exposuit praesentiam."

Priusquam ad singulas Pauli epistolas transeamus, Nourrii hoc loco judicium praemitterre placet, qui: „Pauli autem, inquit, apostoli omnes fere epistolas expresse ipsius vel solius per antonomasiam apostoli nomine laudatas saepe saepius (sc. apud Clementem) invenimus. Quandoque vero longa earum fragmenta refert eaque luculenter exponit aut verum earum sensum contra frivolas haereticorum argutias demonstrat et tuetur. Persuasissimum ergo Clementi nostro fuit, Paulum fuisse verum illarum auctorem." Unam, quantum nos quidem meminimus, Pauli epistolam, quae ad Philemonem scripta est, Clemens non commemorat, non quod eam spuriam habuerit, neque enim ullum hujusce sententiae indicium occurrit, et Origines Clementis discipulus non solum saepius eandem epistolam affert, sed etiam commentarios ejus scripsit, sed quia nulla laudandi occasio se ei obtulit.

De epistola ad Romanos scripta cf. paed. 1, 8. p. 139: „Vide ergo, inquit Paulus, bonitatem et severitatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate, hoc est (addit Clemens) in fide in Christum." (Cf. Rom. 1, 22.) Prioris Pauli ad Chorinthios epistolae praeclarum testimonium habemus pad. 1, 6. Quo enim sensu Christiani merito pueri et infantes appellentur, exponens pag. 117: „Manifestissime, inquit, beatus Paulus nos ab hac quaestione expedivit, in priore ad Chorinthios epistola sic scribens: *Fratres, ne pueri efficiamini mentibus, sed sitis vitio infantes, mentibus autem estote perfecti.*" (1 Cor. 14, 20.) Deinde postquam Gnostici, i. e. hominis Christiani ex omni parte perfecti exempla proposuit, disputationi suae eum finem imponit, ut quae proposuit, 1. Cor. cp. 6. paraphrastice interpretando confirmet. — Alterius ad Corinthios epistolae unum proferamus testimonum: Paed. 1, 5. p. 108: „Ecce enim apostolus ad Corinthios scribens haec dicit: *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.*" (2. Cor. 11, 2.) Item epistolae ad Galatas scriptae unum testimonium afferamus: Strom 7, 15, p. 556: „Quare Paulus quoque scribens ad Galatas dicit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.*" (Galat. 4, 19.) Epistolae ad Ephesios scriptae hoc testimonium sit: Paed. 1, 5 p. 108: „Ad Ephesios autem scribens (sc. Paulus) apertissime revelavit, quod quaeritur, dicens hoc modo: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut non simus amplius infantes*" cett. (Ephes. 4, 13—14.) Epistolam ad Philippenses scriptam commemoratam reperies quum alias, tum str. 4, 13. p. 604. ubi, postquam Philipp. 1, 29—30 attulit: „Si autem, inquit, super sacrificio et ministerio gaudens et congratulans eos ad quos loquitur apostolus, Philippenses vocans gratiae consortes et socios, quomodo ipse dicit unanimes et animales?" (Philipp. 3). — Epistolae ad Colossenses datae quum nullum fere caput a Clemente non commemoretur, tamen haud scio an celeberrimus locus sit str. 6, 8 p. 771: „Similiter autem ad Colossenses quoque, qui convertuntur ex Graecis: *Videte, ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi et non secundum Christum.*" (Col. 2, 8) — Ut jam ad eas, quae ad Thessalonicenses scriptae sunt, epistolas accedamus, prioris quidem testimonium hoc sit: Paed. 1, 4 p. 109:

„Hoc autem manifestissime significavit beatus Paulus dicens: *Quum possemus oneri esse sicut Christi apostoli, fuimus mites in medio vestri, sicut nutrix fovet filios suos.*“ (1. Thess. 2, 7). — Alterius vero testimonium hoc occurrit str. 5, 3 p. 635: „Et non est in omnibus, inquit Apostolus, cognitio. Orate autem, ut liberemur a pravis et perversis hominibus; non est enim omnium fides.“ (2. Thess. 3, 2.)

Atque de his quidem Pauli epistolis quum nunquam fere ulla fuerit dubitatio, aliter Clementis aetate res se habuit de epistolis ad Timotheum scriptis. Sed audiamus Clementem ipsum, qui str. 2, 11 p. 456: „Quemadmodum, inquit, ergo suspectam reddit philosophiam arrogantia et gloriosa de se persuasio, ita etiam cognitionem falsa cognitio et quae appellatur aequivoce. De qua scribens apostolus: *O Thimothee, inquit, depositum custodi devitans profanas vocum novitates et appositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* (1. Tim. 6, 20—21). Quum ab hac voce convincantur haeretici, epistolas ad Timotheum rejiciunt.“ Quum qui falsi nominis scientiam (*γνῶσιν*) sibi vindicabant, hoc loco haeretici increpentur, haud dubie Clemens Gnosticos atque inter eos Marcionitas potissimum intelligit, de quorum principe Marcione Irenaeus adv. haeres. p. 429 haec nobis inter alia tradit: „Similiter autem et Pauli epistolas abscidit, auferens quaecumque manifeste dicta sunt ab apostolo de eo deo, qui mundum fecit, quoniam hic pater domini nostri Jesu Christi“ cett. Cf. Tertull. contr. Marcion. 4 et 5. Hinc quum certo sequatur, ut Clemens eas epistolas a Paulo scriptas persuasum sibi habuerit, saepius etiam locos ex utraque petitos affert. Cf. str. 3, 12. p. 552: „Unde etiam apostolus: *Volo, inquit, juniores nubere, filios domui praeesse, nullam dare occasionem adversario maledicti gratia. Jam enim quidam diverterunt per satanam.*“ (1. Tim. 5, 14—15). De altero cf. str. 3, 6. p. 536: „Scimus etiam quaecumque de feminis diaconis in altera ad Timotheum praestantissimus docet Paulus.“

Epistolae ad Titum scriptae, de qua nulla apud Clementem commemoratur dubitatio, hoc testimonium afferre liceat. Protr. p. 7: „Nam, ut ait divinus domini apostolus, gratia dei omnibus hominibus salutaris apparuit, docens nos“ cett. (Tit. 2, 11—17.)

Quum magna jam inde a veterrimis temporibus inter viros doctos discordia fuerit de origine atque auctoritate epistolae ad Hebraeos scriptae, ejus viri sententia haud dubie gravissima hoc loco habenda est, qui non sine ingenii acumine summa eruditione ornatus non nisi quae a veteribus memoriae tradita erant, ipse quoque litteris mandare studebat. Atque primum quidem in iis Clementis libris, qui integri ad nos pervenerunt, epistola ad Hebraeos scripta saepe eodemque quo ceterae Pauli epistolae modo laudatur neque ullum usquam dubitationis vestigium occurrit. Cf. str. 6, 8. init.: „Nam Paulus quoque in epistolis non videtur reprehendere philosophiam, sed eum, qui est particeps altitudinis cognitionis, non vult amplius recurrere ad Graecam philosophiam, eam allegorice vocans mundi elementa, ut quae elementa quodam modo doceat et sit veluti disciplina praecedens veritatem. Quocirca ad Hebraeos quoque scribens, qui a fide ad legem reflectebantur:*] *An rursus, inquit, opus habetis, ut vos doceam, quaenam sint initia eloquiorum dei? et opus vobis esse coepit lacte*

*] Rectissime his verbis Clemens epistolae nostrae scopum atque metam constituisse videtur.

*et non solido cibo?* Similiter autem ad Colossenses quoque, qui convertuntur ex Graecis: *Videte ne quis vos depraedetur per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi et non secundum Christum*, significans elementalem doctrinam reverti ad philosophiam." (Hebr. 5, 12. Col. 4, 8.) Ut hoc loco aperte epistolae ad Hebraeos scriptae eadem quae reliquis Pauli epistolis auctoritas, quippe quae cum epistola ad Colossenses scripta conjungatur, ipsaque Paulo auctori tribuitur, sic idem fit str. 2, 22. p. 501., ubi duo diversi Pauli loci, qui saepius Clementis mos est, statim inter se conjunguntur: *„Nos ergo ex praeclari apostoli sententia, ex fide spem justitiae exspectamus; in Christo enim neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed fides, quae per dilectionem operatur.* (Galat. 5, 5—6.) *Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostendere sollicitudinem ad expletionem spei* usque ad illud: *Secundum ordinem Melchisedech factus pontifex in aeternum.*" Posteriora quoque verba, quae leguntur Hebr. 6, 11—20., Paulo tribui quae statim sequuntur ostendunt: „Paulo quoque similia dicit sapientia omni virtute plena: *Qui autem me audit, habitat in spe confidens.*"

Nihilominus Clemens in iis libris, quibus accuratior dogmatum expositio proposita erat, quaestiones de hac epistola quasdam suo certe tempore jam motas commemorat, ad quas quae ipse respondit, satis viri ingenii acumen probant. Eusebius enim h. e. 6, 14. hac de re commemorat: „Epistolam autem ad Hebraeos, inquit, Pauli quidem esse affirmat (Clemens), sed Hebraico sermone, utpote ad Hebraeos primum scriptam fuisse. Lucam vero eandem Graeco sermone studiose interpretatum Graecis hominibus edidisse. Quare in ea epistola et in actibus apostolorum eundem dictionis colorem reperiri.*] Hanc vero inscriptionem *Paulus apostolus* recte atque ordine omissam fuisse obsecrat. Quum enim Hebraeis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant ipsumque suspectum habebant: prudenti consilio usus illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit.**] Deinde aliquanto post his utitur verbis: *Jam vero sicut beatus dicebat presbyter,****] *quando quidem Dominus omnipotentis dei apostolus ad Hebraeos missus fuerat, pro modestia Paulus, utpote qui ad gentes erat directus, Hebraeorum apostolum se minime inscribit, tum ob suam ergo Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebraeos ipse gentium praeco et apostolus scriberet.*" Photius quoque cod. 232 affirmat, Clementis sententia hanc epistolam initio Hebraica voce scriptam et in Graecum conversam esse, sed a Clemente Romano.

Quum igitur omnes, quae nunc quoque ab ecclesia catholica Paulo tribuuntur, epistolas a Clemente eidem tribui videamus, non minus ubique Clemens Pauli vestigia premere, dispersas per singulas Pauli epistolas doctrinae semina colligere majoraque eis incrementa addere studet. Quidquid de vera deque gentilium philosophia Clemens disputat, Pauli auctoritate confirmat, neque minus quae de doctrina arcanorum, quae dicitur, a Clemente disputantur, Pauli sunt. Quidquid de continuo certis spatiis progressu totius generis humani, de Christo

*] Cf. quem supra ex Adumbr. in I, Petr. attulimus locum.

**] Tali igitur modo quae jam tum perspiciebantur difficultates enodare studuit.

***] Intelligendus est Pantenus, Clementis magister, qui igitur ipse quoque Paulo epistolam tribuit.

„in plenitudine temporis“ incarnato a Clemente disseritur, Pauli eisdem de rebus doctrina copiosius exponitur. Similis ratio inter utrumque in eis intercedit, quae de fide et *γνώσει* disputantur, Gnostici denique hominis, i. e. viri Christiani omni ex parte perfecti descriptionem, in qua Clemens sane uberrimus est, Pauli auctoritate confirmari jam supra vidimus.

Ut jam ad reliquas novi testamenti partes transeamus, epistolae quidem catholicae nomen jam Clementi notum est neque nos causam unde sua sententia dicta sit, celat. Cf. str. 4, 15. p. 606: „Dicit enim apostolus: *Omnia alia ex macello emite nihil interrogantes* (1. Cor. 10, 25.) iis tamen exceptis, quae notantur in catholica omnium apostolorum epistola, quae quod ita *visum sit spiritui sancto,* scripta quidem est in actibus apostolorum, lata autem fuit ad fideles per ipsius Pauli ministerium.“ Recte Kirchhofer p. 255: Clemens, inquit, gebraucht diesen Ausdruck von dem Schreiben der Apostel act. 15, 23—29; er verstand also darunter Circularschreiben und das scheint auch ursprünglich die Bedeutung gewesen zu sein, und zwar in einer Zeit, wo der zweite und dritte Brief Johannis noch nicht im Canon waren. Er hiesse dann allgemeine Lehrbriefe im Gegensatz der Paulinischen, an besondere Gemeinden gerichteten. Sed quamquam minus constat, num jam Clemens eis epistolis, quibus nunc catholicis nomen datur, idem nomen tribuerit,*] tamen non solum canonicas eas habuit, verum etiam plurimas earum commentariis exornavit. Cf. Cassiod. div. lect. cp. 8: „In epistolis autem canonicis Clemens, Alexandrinus presbyter, qui et Stromateus vocatur, i. e. in epistola sancti Petri prima et secunda et Jacobi attico sermone quaedam declaravit,“ Cf. Euseb. h. e. 6, 14, quem locum jam supra attulimus. Exstant etiam nunc „adumbrationes“ latina voce conscriptae in priorem Petri apostoli et Judae, in primam et secundam Johannis epistolam, sed hae „breves dumtaxat, ut Nourrii verbis utar, in quosdam earum versus, vel aliquam dumtaxat eorundem versuum partem ennarrationes ac saepe saepius notulas tantummodo et animadversiones exhibent.“ Unde aut longiorum commentariorum partes aut, id quod et per se veri similius est et nomine ipso declarari videtur, ex libris *ὑποτυπώσεων* excerpta eorumque fragmenta sunt, quae quidem posterior sententia jam pridem a viris doctis recepta est.

Sed nunc ad singulas epistolas catholicas transeundum est. Jacobi quidem epistola quamquam nullo loco expressis verbis nominatur vel Jacobo apostolo tribuitur, tamen saepius integrae sententiae ex ea ita depromuntur, ut Clementi eam notam fuisse ab eoque inter libros canonicos habitam esse manifestissimum sit. Cf. str. 6, 18. p. 825: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum* (Matth. 5, 20.), qui justificantur per abstinentiam a malis, ita ut praeterea cum ea quae est in his perfectione, *proximum* quoque possitis *diligere* et ei bene facere, non eritis *regales*“ (Jacob. 2, 8.). Vide etiam paed. 3, 2. p. 259: „Apertissime ergo docet dominus per Abraham et patriam et cognatos et possessiones et omnes divitias contemnere eum qui deum sequitur, quum eum fecit advenam (Genes. 12, 1. sqq.) *et ideo eum appellat amicum* (Jacob. 2, 23.), ut qui suas facultates habuisset contemptui.“ Strom. 3, 6. p. 533: „Eis autem dicit scriptura: *Deus superbis*

---

*] Kirchhofer l. c. Eusebium ait primum omnibus epistolis canonicis, quae Paulinae originis non sint, hoc nomen imposuisse.

*resistit, humilibus autem dat gratiam*" (Jacob. 1, 6.). Praeterea hoc loco illud quoque afferri potest, quod Origenes, Clementis discipulus, epistolam nostram expressis verbis Jacobo tribuit. Cf. hujus comment. in epist. ad Rom. libr. 4: „Nec solus haec Paulus in suis litteris scribit, audi et Jacobum, fratrem domini, similia praestantem, quum dicit: *Qui voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus dei constituetur.*" (Jacob. 4, 4.) De persona quoque Jacobi a Clemente quaedam nobis afferuntur, quae alicujus sane momenti esse videntur ad disceptandam veterem illam quaestionem, utrum duo an tres in sacra scriptura Jacobi afferantur. Apud Eusebium 2, 1. enim Clemens: „Duo, inquit, erant Jacobi, alter Justus, qui de pinnis dejectus et a fullone ad mortem caesus est, alter qui gladio percussus est." De hoc quidem haec a Clemente in sexto ὑποτυπώσεων libro tradita Eusebius 2, 15 affert: „Tunc etiam, ut divina tradit scriptura, Herodes, quum Jacobi caedem gratissimam esse Judaeis videret, Petrum quoque adortus est." De illo vero idem Euseb. 2, 1: „Clemens certe, inquit, in sexto ὑποτυπώσεων libro ita tradit. Ait enim post servatoris ascensum Petrum, Jacobum et Johannem, quamvis dominus ceteris ipsos praetulisset, non idcirco de primo honoris gradu contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Hierosolymorum episcopum elegisse." In septimo ὑποτυπώσεων libro Clemens: „Jacobo Justo, inquit, et Johanni et Petro dominus post resurrectionem scientiae donum impertiit, quod illi ceteris apostolis, hi vero septuaginta discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt." Cf. Euseb. h. e. 2, 1.

His de Jacobo ejusque epistola expositis ad Petrum ejusque duas epistolas pervenimus. Atque primum quidem de Petri persona videamus quae Clemens tradiderit. Quod jam in sacra scriptura invenitur, Petrum uxorem duxisse, idem de Petro Clemens affirmat, sed postquam in apostolorum numerum evectus sit, non ut uxorem, sed ut sororem secum eam habuisse Petrum ostendit. Strom. enim 6, 3. p. 535 sq., ubi Clemens eorum haereticorum errores refutat, qui impia de deo omnium creatore sententia capti speciosam continentiam exercebant: „An etiam reprobant, inquit, apostolos? Petrus enim et Philippus filios procrearunt; Philippus autem filias quoque suas viris locavit. — Sed hi quidem, ut erat consentaneum, ministerio, quod divelli non poterat, praedicationi scilicet, attendentes non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quae domos custodiebant, per quas etiam in gynaeceum absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina domini." Cf. str. 7, 11. p. 869: „Aiunt certe locatum Petrum, quum vidisset, uxorem duci ad mortem, laetatum quidem esse quod vocaretur et quod domum reduceretur, eam adhortatum ac consolatum, nomine cumpellasse ac dixisse: *Heus tu, memento domini!* Tale erat beatorum illorum matrimonium et usque ad carissimos perfecta affectio." Majoris sane hoc loco momenti illud nobis est, quod Clemens, orientalis ecclesiae scriptor, testis exstitit, Petrum apostolum re vera Romae versatum esse ibique evangelium praedicasse. Vide Euseb. l. supra l. Hujus igitur apostoli priorem epistolam a Clemente canonicam habitam esse, luce clarius inde apparet, quod 1. Petr. 3, 2—3. ita paed. 3, 11. p. 292. afferuntur, quasi ipsius Paedagogi i. e. Christi domini verba sint: „Jubet autem Paedagogus . . . . . . *Quum viderint, inquit, castam vestram, quae est in verbo conversationem. Quarum sit, non qui est extrinsecus plicaturae, vel auri appositionis, vel vestium indumenti ornatus, sed occultus cordis homo, in incorruptibilitate mitis et quieti spiritus, qui est coram deo pretiosus.*" Cf. str. 4, 7. p. 584. Aliter

sane sese res de altera Petri epistola habere videtur, quam quidem Petri nomine a Clemente nusquam laudari inter viros doctos constat. Quum vero ab Origine hanc epistolam saepius afferri, a Didymo vero, ejusdem cui Clemens et Origines praefuerant scholae catecheticae antistite in eis certe libris, quos de trinitate conscripsit, canonicam declaratam esse videamus, levioribus etiam argumentis, si quae afferri poterunt, nobis persuasum erit, Clementem quoque eandem canonicam habuisse. Atque profecto quidem hoc loco protr. p. 83. afferre possumus, ubi allusionem ad 2. Petr. 2, 2. nemo non videbit, quamquam a protestanticis scriptoribus non conceditur.

Jam ad Johannis epistolas transeundum nobis est. Atque primam quidem epistolam et canonicam habitam et Johanni a Clemente tributam esse docet 2. str. 15. p. 463: „Videtur autem Johannes quoque in majore epistola (ἐν τῇ μείζονι ἐπιστολῇ) in his peccatorum docere differentias.“ (sequitur 1. Joh. 5, 16 — 17). Sequitur autem ex hoc loco, ut quum majorem Johannis epistolam dicat, unam vel duas etiam minores cognoverit. Jam vero ex tertia Johannis epistola paed. 2, 7. p. 203. tamquam vox notissima laudata est 3. Joh. 3, 15: „Nobis enim finis est, esse a perturbatione alienos et hoc sibi vult illud: *Pax tibi.*“ De altera vero Johannis epistola haec in adumbrat. in epist. 2. Joh., de quibus supra diximus, exstant: „Secunda Johannis epistola, quae ad vigines scripta est, simplicissima est. Scripta vero est ad quandam Babyloniam, Electam nomine, significat autem electionem ecclesiae sanctae. Astruit in hac epistola persecutionem fidei extra caritatem non esse et ut nemo dividat Jesum Christum, sed unum credere Jesum Christum venisse in carne. Nam qui habet filium in intellectu perceptibiliter, et patrem quoque cognoscit et magnitudinem virtutis ejus sine initio temporis operantem intelligibiliter mente continet. *Si quis venit ad vos, inquit (v. 10.) et hanc doctrinam non portat, non suscipiatis eum in domum et Ave non dixeritis ei; qui enim dixerit Ave, communicat operibus ejus malignis.* Tales salutare prohibet et in hospitium suscipere. Hoc enim in hujusmodi non est inhumanum, sed nec conquirere vel condisputare cum talibus admonet, qui non valent intelligibiliter divina tractare, ne per eos traducantur a doctrina veritatis, verisimilibus inducti rationibus. Arbitror autem, quia et orare cum talibus non oportet, quoniam in oratione, quae fit in domo, postquam ab orando surgitur, salutatio gaudii est et pacis indicium.“

Ad Judae epistolam ut transeamus, de ipso quidem Juda adumbrat. in epist. Judae p. 997. haec legimus: „Judas, qui catholicam scripsit epistolam, frater filiorum Joseph, exstans valde religiosus, quum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit se ipsum fratrem ejus esse. Sed quid dixit? *Judas servus Christi, utpote Domini, frater autem Jacobi.*“ Epistolam ipsam laudatam reperimus paed. 3, 8. p. 280: „*Volo enim vos scire, inquit Judas, quod deus, qui semel servavit populum ex Aegypto, secundo perdidit eos, qui non crediderunt et angelos, qui non custodierunt suum imperium, sed reliquerunt proprium habitaculum, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine agrestium angelorum custodiit.* Et paulo post eorum qui judicantur imagines admodum ad docendum apposite explicat.“ (Jud. 5, 6. cett.) Cf. strom. 3, 2. p. 515.*]

*] Quae de epistolis catholicis hactenus disseruimus, Guerike confirmat, qui „De schola Alex“ part. II.

Jam ad ultimum novi testamenti librum, apocalypsim, pervenimus, quem librum quum alii presbytero Johanni, alii viro chiliasticis somniis dedito tribuant, Clemens ipse ab omni chiliasmo alienus prorsus ut ceteros novi testamenti libros affert et Johanni eique haud dubie apostolo attribuit. Cf. str. 6, 13. p. 793: „Et licet hic (sc. verus presbyter) in terris non fuerit prima sede honoratus, sedebit in quatuor et viginti thronis populum judicans, ut dicit Johannes in apocalypsi.“ Hinc Johanni apocalypsim attributam esse quum perspicuum sit, ex paed. 2, 2. plane sequitur, ut inter scripturae sacrae libros eandem Clemens habuerit. Disputans enim contra mulierum luxum, maximeque contra gemmarum aureique ornatus usum inter alia haec dicit: „Nec pudet miseras totum suum studium in hoc ostreo ponere, quum eis liceat sancta ornari gemma, nempe Logo dei, quem utique scriptura appellavit Margariten (Matth. 13, 46.) pellucidum et purum Jesum. — Ex sanctis autem lapidibus supremam Jerusalem fuisse munitam accepimus (apoc. 21, 18. sqq.) et duodecim portas coelestis civitatis, lapidibus pretiosis assimilatas eximiam apostolicae vocis gratiam significare admittimur. Quae ergo quid sit in scripturis symbolicum non intelligunt, totae lapidibus inhiant.“

Praeter hos novi testamenti libros, quibus iisdem nunc quoque ecclesiae catholicae canonem constare synodus Tridentina declaravit, alii quidam apocryphi qui nunc vocantur libri a Clemente afferuntur, quibus quid auctoritatis tribuerit, nunc nobis videndum est. Hic vero novi tantum testamenti, non etiam veteris rationem haberi, angusti dissertationis nostrae fines jubent. Atque primum hoc loco monendum esse videtur, primum apud Clementem ἀπόκρυφος vocem occurrere. Jam omissa quaestione, utrum ea vox proprie Graecorum technica, ut dicunt, an versa sit ex Hebraico ganusim, ita ut libri absconditi intelligantur, (Cf. Hug Einleitung p. 119), quem sensum Clemens huic voci dederit, videamus. Clemens str. 1, 15. p. 357: „Zoroastrem autem, inquit, magum Persarum Pythagoras ostendit. Qui Prodici haeresim sequuntur, gloriantur se arcanos libros (βίβλους ἀποκρύφους) hujus viri possidere.“ Cf. str. 3, 4. p. 524. ubi, postquam haereticorum, quos ejusdem Prodici discipulos fuisse Theodoretus haeret. fab. 1, 6. affirmat, turpis licentiae praetextum exposuit, „Effluxit autem, inquit, eis dogma ex quodam apocrypho libro.“ Hinc dubium esse non potest, quin libri apocryphi Clementis quidem sententia libri sint arcani, quique non omnium versantur in manibus, necdum eo sensu intelligendi sint, quo nos eos libris sacris apponere solemus.

Apocryphi (vulgari vocis sensu) libri, quibus Clemens utitur, in tria genera dividi possunt: in evangelia, in apostolorum et apostolorum discipulorum quae feruntur scripta, de quibus singulis quaedam monenda videntur.

Ex evangeliis apocryphis duo saepius commemorantur, unum quod est secundum Hebraeos, ut str. 2, 9. p. 453. hoc contextu: „Amat autem et diligit veritatem philosophus, ex germano famulo jam propter amorem existimatus amicus. Ejus autem est principium res admirari, ut dicit Plato in Theaeteto et Matthias adhortans in traditionibus: „Admirare praesentia,“ cum esse primum gradum statuens ulterioris cognitionis. Qua ratione etiam

---

p. 49: Ex epistolis, inquit, catholicis, prioris Petri, primae Johannis et Judae epp. authentia Alexandrinis minime est suspecta; necnon de reliquis ita judicant, ut comprobare potius, quam improbare canonicam earum auctoritatem videantur.“

scriptum est in evangelio secundum Hebraeos: „Qui admiratus fuerit, regnabit et qui regnaverit, requiescet cet." Jam quilibet facile videt, non nisi humanam auctoritatem hoc loco huic evangelio a Clemente tribui, ut nos quoque interdum vel eorum virorum, quorum doctrinam universam rejicimus, unum alterumve recte dictum afferre solemus. Idem dicendum videtur de iis, quae leguntur str. 5, 10. p. 684: „Neque enim invidens, inquit, praecepit dominus in aliquo evangelio: *Mysterium meum mihi et filiis domus meae.*" Exiguam enim tantum auctoritatem Clementem huic loco addidisse inde apparet, quod et obiter ea verba affert et ne nomen quidem evangelii memorat, sed *τινί* particulam addit. — Saepius sane quod est secundum Aegyptios evangelium a Clemente affertur. Cf. str. 3, 6. p. 532: „Deinde sunt etiam evertendi (sc. haeretici impiam continentiam excercentes) et dissolvenda quae ab eis afferuntur hoc modo: *Salome interroganti: Quousque vigebit mors?* non quasi vita esset mala et mala creatura, *dominus: Quoadusque, inquit, vos mulieres paritis*, sed quasi naturalem docens per consequentiam; ortum enim omnino sequitur interitus." Ad eundem locum Clemens provocat str. 3, 9. p. 740 sq., ubi negari quidem non potest, Clementem aliquam evangelio secundum Aegyptios auctoritatem tribuere, sed ita tantum, ut colloquium illud Dominum inter et Salomen factum non disertis verbis neget, ita igitur, ut ex concessis, ut ajunt, argumentetur. Nullam autem doctrinam ejus auctoritate fulciri posse clarissime patet ex str. 3, 13. p. 553, unde omnino quid Clemens apocryphicis evangeliis tribuat, perspici potest: „Propterea dicit Cassanus: *Quum interrogaret Sálome, quando cognoscerentur ea, de quibus interrogabat, ait Dominus: Quando pudoris indumentum conculcaveritis et quando duo facta fuerint unum et masculum cum femina, nec masculum nec femineum* Primum in nobis traditis quatuor evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo quod est secundum Aegyptios."

Jam ad ea scripta venimus, quae tamquam apostolica primo ecclesiae tempore subdita sunt. Atque in his quidem recensendis primum locum occupet Petri Praedicatio, quae saepius a Clemente affertur. Cf. str. 1, 21. p. 428: „In Petri autem Praedicatione inveneris Dominum vocari legem et Logon", ubi non nisi humanam huic libro auctoritatem tribui, facile cuilibet apparet. Idem dicendum est de str. 2, 15. p. 465. Postquam enim cur parabolico dicendi genere libri sacri uterentur exposuit: „Ejus (sc. Domini) quoque discipuli, inquit, qui verbum praedicaverunt, postquam ipse excessit e vita, usi sunt parabolis. Unde etiam Petrus in Praedicatione loquens de apostolis dicit: *Nos autem quum evolvissemus libros, quos habuimus prophetarum, qui partim quidem per parabolas, partim autem per aenigmata, partim vero expressa ea auctoritate et claris verbis Christum Jesum nominant, invenimus ejus adventum et mortem et crucem et reliqua omnia supplicia, quibus eum affecerunt Judaei et resurrectionem et in coelos ascensionem, priusquam conderentur Hierosolyma, sicut scriptum est: Haec omnia sunt, quae oportebat ipsum pati et post ipsum quae erunt. Haec ergo quum cognovissemus, deo credidimus ex iis, quae de ipso scripta sunt.*" Quum Christus in coelum ascenderit non ante condita, sed ante capta Hierosolyma pro: *πρὸ τοῦ Ἱεροσόλυμα κτισθῆναι* sunt qui legendum censuerunt: *πρὸ τοῦ Ἱεροσόλυμα ληφθῆναι* sive *καθαιρεθῆναι*. Quam quidem conjecturam si admittimus, sequitur, ut Praedicatio Petri post Hierosolyma per Titum deleta scripta sit. Quum autem „apostolorum doctrina usque ad Pauli ministerium Neronis tempore consummatum sit" (str. 7, 17. p. 899.), Clemens Praedicationem a Petro apostolo

scriptam esse statuere non potuit. Verum omissa etiam illa conjectura minime ex Clementis verbis constat, eum vere hunc librum apostolo auctori tribuisse. Origines certe qui quaedam ex eodem libro petita prope iisdem, quibus Clemens utitur, verbis affert, his eum verbis laudat: „Liber qui Praedicatio Petri inscriptus est." Cf. Orig. tom. 14. in Joh. ev. p. 217.*] Deinde a Clemente afferuntur Matthiae Traditiones. Ac primum quidem locum str. 2, 9. jam supra commemoravimus. Cf. str. 7, 4. p. 523: „Dicunt itaque (qui Carpocratis haeresim sequuntur), Matthiam quoque sic docuisse: *Cum carne quidem pugnare, et ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem et cognitionem.*" Vide etiam str 7, 13. pag. 882, ubi vere gnostici hominis exemplar proponens inter alia haec scribit: „Dicunt autem Matthiam apostolum in traditionibus subinde dixisse: *Si electi vicinus peccaverit, peccavit electus; nam si ita se gessisset, ut jubet Logos, ejus vitam ita esset veritus vicinus, ut non peccasset.*" Magni hoc loco momenti haud dubie est str. 7, 17. pag. 900: „Ex haeresibus autem alii appellantur ex nomine, ut quae appellatae sunt a Valentino et Marcione et Basilide, etiamsi glorientur, se Matthiae opinionem adducere; fuit enim una omnium apostolorum sicut doctrina ita etiam traditio." Hinc Clementis de Matthiae traditionibus sententia ita patet, ut ne verbo quidem praeterea opus sit. Afferri vero ex ejusmodi scriptis singulos locos a Clemente, hoc ei quidem non mirum videbitur, qui diversissimi generis scriptores, quae erat ejus doctrinae copia, ab eo laudari pependerit et legerit str. 1, 14. pag. 350: „Septimum autem (sapientem) alii quidem dicunt esse Epimenidem Cretensem, quem Graecum prophetam novit Paulus, cujus etiam meminit in epistola ad Titum, sic dicens: *Dixit quidam ex ipsis proprius propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri (Tit. 1, 12—13.) et testimonium hoc verum est.* Vides quomodo etiam Graecorum prophetis dat aliquid veritatis, nec erubescit et ad aedificationem et ad aliquorum conversionem disserens uti Graecis poematibus? Itaque ad Corinthios (non enim hic solum) disserens de resurrectione mortuorum tragico jambo usus est, dicens: *Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt. Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Nolite seduci; corrumpunt bonos mores colloquia prava.*"**] Pauli quoque apostoli apocryphicus quidam liber commemoratur, ita quidem ut quem Clemens affert locus quam maxime ad universam Clementis persuasionem quadret. Str. 6, 5. p. 761: „Quoniam quemadmodum deus Judaeos salvos esse voluit, dans eis prophetas, ita etiam Graecorum spectatissimos in propria sua lingua prophetas excitatos, prout poterant capere dei beneficentiam a vulgo secrevit, praeter Petri praedicationem declarabit Paulus apostolus dicens: *Libros quoque Graecos sumite, agnoscite Sibyllam quomodo unum deum significet et ea quae sunt futura et Hystaspen sumite et legite et invenietis, dei filium multo adhuc clarius et apertius esse scriptum et quemadmodum adversus Christum multi reges instruant aciem, odio habentes illum et eos, qui nomen ejus gestant et ejus fideles et ejus tolerantiam et adventum.* Deinde uno verbo nos interrogat: *Totus autem mundus et quae sunt in mundo, cujus sunt? Nonne dei?*" Quum haec verba in nostris canonicis Pauli

*] Cf. Euseb. praep. eo. lib 3. „Praedicationis, et revelationis ejusdem Petri libros pro Catholicis scriptis nunquam esse habitos constat."

**] 1. Cor. 15, 32—33. Φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ᾽ ὁμιλίαι κακαί.

epistolis non occurrant, neque accurate ad Pauli quidem mentem, qualem ex epistolis ejus eam perspicere nobis videmur, quadrent, nihil sane reliquum est, quam ut ad subditicium aliquod Pauli scriptum ea referamus, quod utrum Pauli Revelatio, saepius ab antiquis scriptoribus memorata, an aliud fuerit, discerni non potest.

Postremum ad eorum virorum scripta pervenimus, qui apostolorum discipuli fuerunt. Hoc vero loco Barnabae epistola eo gravioris etiam momenti haud dubie est, quod Eusebius h. e. 6, 14. Clementem in ὑποτυπώσεων libris compendiosam enarrationem instituisse tradit praeter alios de quibus inter multos ambigeretur libros Barnabae quoque epistolae.*] Ac primum quidem Clemens str. 2, 20. p. 490. haec habet: „Quomodo autem nos diaboli operationes et spiritus immundos in animam peccatoris seminare dicamus, non mihi pluribus verbis opus est, si adduxero Barnabam apostolicum (erat autem is ex septuaginta et Pauli adjutor) his verbis sic dicentem: *Antequam nos deo crederemus*“ cett. (Cf. epist. Barnabae p. 16). Ex ea quae hoc loco addita est Barnabae commendatione facile quisque perspiciet, epistolam non ut canonicam afferri, sed propter humanam scriptoris auctoritatem, quippe qui Pauli discipulus et unus ex septuaginta Domini discipulis purissimam doctrinae dominicae traditionem servaverit. Strom. 5, 10. quoque postquam apostolorum sententiam de mysteriis fidei occultandis exposuit, p. 683. eodem fere modo Barnabam affert: „Quin etiam Barnabas, qui ipse quoque praedicavit verbum una cum apostolo in ministerio gentium: *Simplicius, inquit, vobis scribo, ut intelligatis.* Deinde paulo inferius exhibens manifestius traditionis gnosticae vestigium dicit: *Quid eis dicit alius propheta*“ cett. Cf. str. 5, 8. p. 77: „Ex adverso autem permittit (sc. Moses) vesci iis quae habent fissam ungulam et quae ruminant, significans, inquit Barnabas, oportere adhaerere iis, qui timent Dominum et in corde meditantur eam, quam acceperunt verbi distributionem.“ Re vera quidem Clementem epistolam nostram Barnabae tribuisse, eamque ob causam magno eam affecisse honore, quippe quae a viro apostolico scripta esset, non autem canonicam ei auctoritatem tribuisse, inde aperte elucere mihi videtur, quod str. 2, 15. p. 463. psalmi primi versus primi quam Barnabas perscripserat explicationem (epist. cp. 10.) quaedam propria addens, Barnabae vero quaedam omittens affert, deinde autem duorum aliorum quoque virorum ejusdem loci explicationes, ut quibus multum tribuendum sit, addit: „Sed et David et ante eum Moses per haec tria dogmatum ostendunt cognitionem. *Beatus vir qui non ambulavit in via impiorum,* sicut pisces vadunt in tenebris ac in profundo. Qui enim squamas non habent, quas prohibet Moses attingere, pascuntur in profundo maris. (Cf. Barnab. l. 1.) *Neque in via peccatorum stetit,* sicut ii, qui quum dominum videantur timere, peccant ut porcus. Esuriens enim clamat, repletus autem non agnoscit dominum (Cf. Barnab., sed quaedam omissa reperies.) *Neque sedet super cathedram pestilentiae*, sicut volucres paratae ad rapinam. Suasit autem Moses non vesci porco nec aquila nec accipitro neque corvo neque quovis pisce qui non habet squamas. Haec quidem Barnabas. Audivi autem ego virum in his rebus doctum dicentem,

---

*] Nuper etiam Magon Handbuch der Patrologie tom. I. p. 56. haec scripsit: Clemens Alexandrinus legt ihn dem Apostel Barnabas bei, weshalb er ihm auch canonisches Ansehen vindicirt. l. c. 2, 30. 5, 11. Prior quidem locus omnino non exstat, altero Barnabae mentio non fit.

consilium impiorum significare gentes, viam autem peccatorum Judaicam opinionem et pestilentiae cathedram haereses interpretantem. Alius autem dicebat magis proprie, intelligendam quidem esse primam beatitudinem de eis, qui non sunt sceleratas secuti sententias, quae a deo defecerunt; secundam autem de iis, qui in lata via non manent, sive enutriti in lege, sive conversi ex gentibus fuerint. Cathedra autem pestilentiae et theatra fuerint et tribunalia, ubi imprimis solent homines sequi improbas et exitiales potestates et operum earum participes fieri.“ Canonicam igitur auctoritatem Barnabae epistolae tribui affirmari non potest. — Jam ad Hermae pastorem pervenimus. Hunc quoque librum sunt qui a Clemente inter canonicos relatum esse affirmant.*] Quod ut probent, afferunt str. 1, 29. p. 427: „Divine (θείως) ergo potestas illa, quae Hermae loquitur in revelatione: *Visiones, inquit, et revelationes propter eos, qui sunt duplice corde, qui disputant in cordibus suis, sint ea necne.*“ (Cf. past. lib. 1. vis. 4.) Hinc autem non magis sequitur, ut Clemens librum canonicis adnumeraverit, quam Platonis libros, de quibus saepius eadem voce (θείως λέγει) usus est, canonicos habuit. Neque ullius momenti est str. 1, 17, ubi obiter tantum Pastor affertur: „Dicit autem Pastor quoque, angelus poenitentiae, ad Hermetem de pseudopropheta: *Quaedam enim verba vera dicit; diabolus enim implet suo spiritu, si quem possit ex justis frangere.*“ Majorem sane libri canonici speciem prae se fert str. 2, 1. fin., ubi ad firmandam aliquam propositionem Clemens ad Pastorem provocat: „Si quis ergo veri similium contemplationi deditus cupit in multis probabilibus iisque Graecis id quod verum est persequi, haud dissimilis erit ei, qui verum vultum larvis obtectum discernere satagit. Dicit enim quae Hermae in visione apparuit potestas: *Quod tibi contingit revelari, revelabitur.* (Cf. past. 1 vis. 3.) Minoris etiam momenti est str. 6, 15. p. 806.

## *III. De interpretatione librorum sacrorum.*

Jam Clementis aetate scriptas librorum sacrorum interpretationes exstitisse ex str. 4, 6. p. 582. sequi videtur, ubi „*Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsi filii dei vocabuntur*, vel ut nonnulli ex iis, qui evangelia transponunt (τῶν μετατιθέντων τὰ εὐαγγέλια): Beati, inquit, quos persequitur justitia, quoniam ipsi erunt perfecti, et beati, qui persecutionem patiuntur propter me, quoniam locum habebunt, ad quem non perveniet persecutio, et Beati estis, quando vos homines odio habuerint, quando exterminaverint, quando nomen vestrum ut sceleratum expunxerint propter filium hominis.“ *Τοὺς μετατιθέντας τὰ εὐαγγέλια* De Wette (Einleitung p. 50) in malam partem intelligit: Schon früh waren falsche Lesarten eingedrungen, wie ausdrücklich bezeugt wird und wie aus den Anführungen der ältesten Kirchenschriftsteller erhellt. Provocat inter alios ad nostrum locum. Haud nos fugit, alio loco, quem infra afferemus, Clementem vocem *μετατιθέναι* in malam partem accepisse; sed ne eo quidem loco de falsis lectionibus sermo est, verum de

*] Cf. Magon l. c. p. 11: Clemens Alexandrinus führt das Werk ebenfalls an — und rechnet es zu den canonischen, welches Eusebius ebenfalls gethan hätte, wenn ihm nicht widersprochen worden wäre.

falsis, ut nobis quidem videtur, interpretationibus. Itaque magis Millio assentimus, qui Prolog. ad nov. test. p. 33 haec scribit: „Ceterum inter codices ecclesiarum et privatorum hominum hoc fere interfuit, quod isti prout e librariorum manibus exierant emaculati notisque marginalibus liberi fere, integri in ecclesiarum tabulis remanserint, hi vero ab ipsis in quorum gratiam fuerant conscripti, statim fere inter lineas aut ad marginem glossis scholiisque fuerint conspersi, maximeque in id incumbentibus sacrarum litterarum studiosis, ut textum sacrum, quem apud se habebant, explicatiorem suisque usibus magis in dies ac magis idoneum redderent. Hinc apud Clementem Alexandrinum, qui sub finem saeculi secundi floruit, mentio fit seu scholiastarum, qui jam ab initio libris istis ad oram aut spatio interlineari explicatiunculas suas illeverant. Harum unam ille et alteram adducit str. 4, p. 490. (ed Silb., ubi p. 490 est p. 582 ed. Pott.)" Sed haec utut se habent, ad rem nostram transeamus.

Apud Graecos quum jam inde a Platonis aetate allegorica interpretatio viguisset et posteriore tempore a philosophis Stoicis magis etiam adhibita esset, fieri non poterat, quin Judaeorum quoque, qui Alexandriae, quae urbs emporium quasi quoddam omnium et gentium et litterarum artiumque erat, degebant viri docti, ut Aristobulus et Philo, eandem libros sacros suae gentis interpretandi rationem amplecterentur. Haec enim interpretatio quum omnino ad litterarum colendarum rationem, qualis tum Alexandriae florebat, conveniret tum ad ea quae libris sacris a philosophis gentilibus objiciebantur, refutanda largam materiam praebebat. Eandem ob causam, quo melius se a gentilium haereticorumque impetibus defendere possent, Christianorum quoque viri docti eidem interpretationi operam dabant. Pantenus certe, cujus scholae Alexandrinae catecheticae antistitis prima ad nostram memoriam documenta pervenerunt, quique, priusquam religionem christianam amplecteretur, Stoicorum disciplinam secutus erat, libros sacros allegorice interpretatus est. Anastasius enim Sinaita lib. VII. contemplat. in hexaemeron. vers. lat. haec de eo refert: „Veteres ergo ecclesiarum interpretes, Philo inquam . . . . et celebris Papias . . . . et Irenaeus . . . . et Justinus martyr . . . . et Pantenus Alexandrinus et Clemens Stromateus et eorum asseclae spiritualiter sunt contemplati de Christi ecclesia, quae scripta sunt de paradiso." Sed cave Pantenum censeas in allegorica interpretatione omnino acquievisse. Unus enim nobis interpretationis canon, ambiguus ille quidem, sed tamen ex ore viri eruditi, qualem Pantenum certe fuisse constat, profectus temporis favore servatus est, qui litterali interpretationi favet et nostra quoque aetate ad prophetias recte intelligendas utilissimus est. In eclogis enim ex prophetis, quas a Theodoto fortasse conscriptas Clemens Alexandrinus vel alius ejus aetatis vir doctus collegit haec leguntur: „Noster autem Pantenus dixit, indefinite voces prophetas efferre in pluribus et praesente pro futuro uti et rursus praesenti tempore pro praeterito." Itaque haud a vero aberret, qui Pantenum prout res ipsa et dogma traditum, quod servare et confirmare summae ei semper curae erat, postulare videbatur, tum allegorice, tum ad litteram libros sacros interpretatum esse affirmat.

Jam si ad summam omnis generis doctrinam, qua Clemens imbutus erat quaque omnes litterarum et sacrarum et profanarum sui temporis inclinationes facile persequi poterat, et ad singularem pietatem respexeris, qua Clemens Pantenum praeceptorem semper prosecutus

est, *] Clementem eandem quam praeceptorem in libris sacris interpretandis rationem secutum esse, facile concedes. Varia sane interpretationis genera Clementi nota fuisse aperte str. 1, 28. p. 446. elucet: „Tribus autem modis legis sententia est nobis accipienda, ut quae signum aliquod repraesentet vel praeceptum constituat ad rectam vitae institutionem vel tamquam prophetia futura praedicat. Sat autem scio esse virorum, ea quae sunt hujusmodi discernere ac dicere. Non enim una Myconus **] est universa ad intelligendum scriptura, ut dicunt, qui utuntur proverbiis."

Atque primum quidem Clemens sensum verbalem litterarum sacrarum omnibus artibus humanis adhibitis investigare jubet. Cf. str. 6, 10. p. 781: „Non ergo ut his (sc. disciplinis humanis) tamquam virtutibus utatur Gnosticus, habebit disciplinarum multarum cognitionem, sed utens tamquam adjutricibus in communibus et propriis discernendis admittet ad veritatem. Est enim omnis erroris et omnis falsae opinionis causa non posse discernere, quanam ratione inter se conveniant ea quae sunt et quanam ratione differant. Sin autem quis diversa non persequatur distincta oratione, non animadvertet, se confundere communia et propria. Hoc autem si fiat, necesse est, ut incidatur in devia et errores. Nominum autem et rerum distinctio in ipsis quoque scripturis magnam lucem affert animis. Necesse est enim exaudire et distinctiones plura significantes et plures quando quid unum significant: unde etiam fit, ut recte respondeatur. Vitandus autem est multus isque plane inutilis labor circa res, quae nullius sunt usus; quum Gnosticus disciplinis utatur tamquam praeviis exercitationibus, quibus adjuvatur, tum ad veritatem accurate, quatenus licet et inconcusse tradendam, tum ad improbos sermones, qui veritatem exscindere moliuntur, pulsandos." Ut hoc loco Clemens Gnostico litteralem librorum sacrorum sensum perquirere commendat, sic ipse quoque innumeris locis, maxime quidem ubi nude et simpliciter doctrinam christianam tractat, hanc explicationem adhibet. Sed ne quis hic justos fines transgrediatur, acerbissime idem str. 2, 16. p. 467. eos vituperat qui carnaliter libros sacros intelligunt: „Nos autem, ut videtur, non cessamus, scripturas carnaliter intelligere (σαρκικῶς νοοῦντες) et ex nostris animi affectionibus abducti dei impatibilis voluntatem nostris motionibus similem existimare. Quodsi res ita esse in omnipotenti deo existimamus, prout nos eas audire et percipere

---

*] Cf. str. 1, 1. p. 322: „Non est autem hoc opus scriptura artificiose comparata ad ostentationem, sed mihi ad senectutem reconduntur monumenta, oblivionis medicamentum, vere imago et adumbratio evidentium et animatarum illarum orationum, quas dignus habitus sum, qui audirem et virorum beatorum quique revera erant maximi pretii et aestimationis. Eorum unus quidem in Graecia, Jonicus, alius vero in magna Graecia, quorum alter erat ex Coelesyria, alter ex Aegypto oriundus; alii autem ex Oriente et eorum alter quidem Assyrius, alter vero in Palaestina Hebraeus ex alto ducta origine. Quum autem in ultimum incidissem, erat autem hic primus potestate, conquievi, quum ipsum in Aegypto latentem indagassem. Sicula re vera apis, prophetici et apostolici flores decerpens, sinceram quandam et incorruptam cognitionem ingeneravit eorum qui audiebant animis. Sed hi veram quidem beatae doctrinae servabant traditionem." Ultimum praeceptorem Pantenum intelligendum esse, et Eusebius l. c. 5, 11. affirmat et omnium interpretum consona vox est.

**] Μία Μύκονος est proverbium „unum ut alterum", sive „nulla differentia statuta" significans; inde dictum est, quod omnes Myconi insulae incolae calvi fuisse dicuntur.

**

valemus, impie erramus. Non enim deus prout in se est, enarrari potuit, sed ut nos audire poteramus, qui carne eramus illigati, ita nobis sunt locuti prophetae, domino se salubriter accomodante ac demittente ad hominum imbecillitatem.“ Itaque omnes ii sacrae scripturae loci, qui quidquid humanae imbecillitatis est, deo tribuunt, prorsus non proprio sensu intelligendi sunt, id quod pluribus exemplis in sequenti ejusdem capitis parte demonstratur. Ab hac carnali interpretatione haud multum distulisse videtur haereticorum ejus temporis interpretatio, quam Clemens str. 7, 16. p. 891. vituperat: „Sic ergo nos quoque ex ipsis de ipsis scripturis perfecte demonstrantes ex fide persuademus demonstrative. Quodsi autem propheticis quoque scripturis uti ausi fuerint, qui sectantur haereses, primum quidem non omnibus, deinde non perfectis, neque ut dictat corpus et contextura prophetiae: verum eligentes ea quae dicta sunt ambigue traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, neque id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. Nam in omnibus fere quae adducunt, locis ipsos sola intueri videbis nomina, ut qui mutent significata, neque quemadmodum dicunt, cognoscant, neque iis quas afferunt allegationibus ita ut earum natura postulat, utantur.“ Huic igitur haereticorum temeritati, quorum sacras litteras interpretandi rationem proxime ad carnalem interpretationem, quam modo commemoravimus, accedere recte monitum esse, cuilibet primo obtutu patet, Clemens suam statim interpretationem opponit, his verbis utens: „Veritas autem non invenitur in translatione significationum (ἐν τῷ μετατιθέναι τά σημαινόμενα), sic enim omnem veram everterent doctrinam, sed in eo, quod quis consideret, quid Domino et omnipotenti deo conveniat perfecte et eum deceat et in eo, ut confirmet unumquoque ex eis quae demonstrantur per scripturas ex ipsis rursus similibus scripturis.“ Eandem haereticorum interpretationem Clemens jam str. 5, 4. quod caput totum eorum licentiae oppositum est, p. 528. vituperaverat: „Recensent enim ex quibusdam locis propheticis decerptas dictiones et male consarcinatas, quae allegorice dicta sunt, tamquam recte dicta et citra figuram dicta sumentes. Dicunt enim scriptum esse: *Deo restiterunt et salvi facti sunt.* (Malach. 3, 15.). Illi autem *Deo impudenti* addunt et hoc eloquium tamquam consilium praeceptum accipiunt et hoc ad salutem conferre existimant, quod creatori resistant. At *impudenti*“ quidem *Deo* non scriptum est. Si autem sic quoque habeat, eum, qui vocatus est diabolus, intelligite impudentem, vel quia hominem calumniis impetat vel quod accuset peccatores vel quod sit apostata.“ Jam verbis sequentibus Clemens docet, quomodo loci obscuriores ex magis perspicuis, similes ex similibus interpretandi sint, simulque et ad grammaticum et ad historicum contextum quando respiciendum sit. Sic enim l. c. pergit: „Populus ergo, de quo hoc dictum est, quum castigaretur propter sua peccata, aegre ferentes et gementes, his verbis, quae dicta sunt, murmurabant, quod aliae quidem gentes, quum inique se gerant, non puniantur, ipsi autem in singulis vexentur, adeo ut Jeremias quoque dixerit: *Cur via impiorum prosperatur* (Jerem. 12, 1.), quod simile est ei, quod prius allatum est ex Malachia: *Deo restiterunt et salvi facti sunt.* Nam prophetae divinitus inspirati non solum, quae a deo audierint, se loqui profitentur, sed et ipsi etiam solent ea, quae vulgo jactantur a populo, exceptionis modo edicere et tamquam quaestiones ab hominibus motas referre, cujusmodi est illud dictum, cujus mentio jam facta est. Numquid autem ad hos verba sua dirigens scribit apostolus in epistola ad Romanos:

*Et non sicut blasphemamur et sicut dicunt aliqui nos dicere: Faciamus mala, ut eveniant bona, quorum justa est damnatio?* Ji sunt, qui inter legendum tono vocis pervertunt scripturas ad proprias voluntates et quorundam accentuum et punctorum transpositione quae prudenter et utiliter praecepta sunt, ad suas trahunt delicias.“ Quum igitur Clemens, ut Origines quoque, maxime ubi haereticos impugnat, litteralem librorum sacrorum sensum investigandum esse contendat, tamen ubi altius in divina mysteria inquirit, profundiorem etiam harum litterarum sensum esse statuit. Hic enim quid de litterali explicatione statuerit videbis frag. Clem. ex Nicetae catena in Job., ubi ad Job. 1, 21. haec scribit: „Jobi autem verba sic elegantius intelligi possunt: *Nudus* a vitio et peccato, quasi *ex utero matris* e terra in initio, *formatus sum, nudus in eandem revertar,* non autem a possessionibus, hoc enim parvum et vulgare esset, sed a vitio et et a peccato et a tenebrico idolo, quod eos excipit, qui injuste vixerunt.“ Cf. Quis div. Salv. p. 938: „Decet autem nos, qui aperte sciamus, nihil salvatorem quasi humano more locutum esse, sed divina mysticaque sapientia suos cuncta docuisse, sermones hos non carnaliter audire, sed latentem in eis sensum digna investigatione mentisque sollertia ac sagacitate perquirere et addiscere. Nam quum et ipsa quoque quae ab ipso domino discipulis videntur fuisse exposita, non minori, sed majori etiamnum consideratione egere noscantur, quam quae obscurius ac velut aenigmate dicta sunt, ob profundissimam in eis altitudinem sensuum, quumque adeo etiam illa, quae ab eo scholae domesticis videntur explanata, ac iis quos ab eo filios regni invenimus vocatos, majore adhuc opus habeant indagatione, quam quae videntur ab eo simpliciter prolata, quae proinde nemo auditorum interrogavit ut exponerentur, pertinentia ad ipsum salutis finem, mirandoque ac supercoelesti mentis consideranda profundo; non perfunctorie haec auribus haurienda, sed ita ad ipsum Salvatoris spiritum ac sententiae arcanum animum demittamus.“ Verum totus ipse liber „Quis dives salvetur“ hujus profundioris explicationis exemplum est. —

Itaque tota scriptura sacra praeter litteralem, etiam allegoricum sensum continet idque ex ipsa scriptura probare Clemens studet. Cf. praeter locum modo laudatum str. 5, 4. p. 659., ubi, postquam ethnicis quoque scriptoribus et Aegyptiis et Graecis eundem allegorice scribendi morem fuisse copiose exposuit: „Aperte itaque, inquit, de tota nostra scriptura in psalmis scriptum est, quod dicta sit in parabola. (sequitur ps. 78. v. 1—2.) — Praeclarus quoque apostolus dicit quodammodo similia (sequ. 1. Cor. 2, 5—8.)“ Sed copiosius hac de re Clemens str. 6, 15. p. 803. sq. haec disputat: *Quod autem auditis in aurem,* abdite scilicet et mystice (nam quae sunt ejusmodi, dicuntur in aurem dici allegorice.) *super domos, inquit, praedicate,* ea scilicet magnifice excipientes, sublimiter dicenda tradentes et ex regula veritatis scripturas explicantes. Neque enim prophetae neque ipse servator adeo aperte elocutus est divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet, sed disseruit in parabolis. De Domino quidem certe dicunt apostoli, quod *omnia locutus est in parabolis et nihil loquebatur eis sine porabola.* (Matth. 13, 34.) Si autem *omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil* (Joh. 1, 3.), ergo prophetiae quoque et lex per ipsum factae sunt et per ipsum dictae sunt in parabolis. Ceterum *recta sunt omnia, inquit scriptura (Proverb. 8, 9.) coram iis, qui intelligunt,* hoc est iis, qui ab ipso declaratam scripturarum

expositionem ex ecclesiastica regula accipientes conservant.“ Jam paulo post ad causas exponendas transit, quibus occulte vera in scriptura tradantur. „Propter multas ergo causas, inquit, occultant scripturae sententiam. Primum quidem ut diligenter inquiramus et semper in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Praeterea ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne fraudi esset, si aliter acciperent ea, quae a sancto spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca electis hominibus et iis qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem, asservata sancta mysteria prophetiarum teguntur parabolis.*] Scripturarum enim stilus est parabolicus. Quocirca Dominus quoque quum non esset mundanus, tamquam mundanus venit ad homines. Portavit enim omnem virtutem, hominemque qui erat in mundo enutritus, ad ea quae percipiuntur intelligentia, a mundo in coelum erat sublaturus. Quocirca scriptura quoque utitur methaphorica. Ejusmodi enim est parabola, ut quae sit oratio ab aliquo, non proprio quidem, sed quod est simile proprio, ad id quod est verum et proprium deducens eum qui intelligit, aut ut dicunt aliqui, dictio quae per alia ea quae proprie dicuntur, ostendit cum efficacia. — Postremum parabolicum scripturae genus quum sit, ut ostendimus, antiquissimum, merito apud prophetas maxime abundavit, ut etiam philosophos, qui erant apud Graecos et eos, qui erant apud alios barbaros, sapienter ostenderet sanctus spiritus ignorasse futurum Domini adventum et mysticam, quae ab ipso tradenda sit, doctrinam.“

Quum igitur litteralis librorum sensus elementarem tantummodo fidem gignat, allegoricus vero ad reconditiorem sapientiam ducat, huic gnosticus maxime studebit. Cf. str. 6, 15. p. 806. sq.

Ut allegoricae interpretationis exemplum afferamus, ejusmodi eligamus, quo omnis Clementis de rerum humanarum per deum administratione persuasio pateat. str. 6, 11. p. 787: „Fortasse autem Dominus quoque illam eorum, qui in herba decubuerunt, multitudinem ex adverso Tiberiadis piscibus duobus et hordeaceis quinque aluit panibus, innuens praeviam Judaeorum et Graecorum eruditionem, quae praecedit divinum triticum nutrimenti, quod per legem educitur. Est enim hordeum tritico citius tempore aestatis. Quae autem per undas gentiles gignitur et fertur, Graecam philosophiam pisces significabant in copiosum cibum dati iis, qui humi adhuc jacebant, qui quidem non capiebant incrementum, sicut fragmenta panum;**] tamen quum benedictionis Domini facti essent participes, habuerunt inspiratam divinitatis resurrectionem per Verbi potentiam. Quodsi ulterius quaerendi sollicitus es, puta unum ex piscibus esse encyclicam disciplinam, alterum vero significare ipsam quae supervenit, philosophiam, quae scilicet cum ipsius Domini verbo comparantur. *Mutorum autem piscium chorus affluxerit,* dicit alicubi Musa tragica.“

---

*] Cf. str. 5, 10 p. 685., ubi non omnibus reconditum sacrae scripturae sensum aperiendum esse, apostoli verba secutus probare studet.

**] Repicere videtur ad Joh. 6, 13. Marcus enim 6, 43. aperte dicit, fragmenta superfuisse tam piscium quum panum. Proinde hos autor comparat verbo Graecis tradito, quod etiamsi tantos fructus ferre nequit, quantos solet quod a Judaeis et bene praeparatis hominibus recipitur, tamen nutrit et vitam conservat.

# Schul-Nachrichten.

## I. Lehrverfassung.

**OBER-PRIMA.** (Ordinarius: Professor *Hüppe.*)

1. Religionslehre. Die Lehre von der Gnade und den Sacramenten; dann die allgemeine Sittenlehre und erster Theil der besonderen. Nach Martin's Lehrb. der kathol. Relig. Wöchentlich 2 St. Oberlehrer Dr. *Hillen.*
2. Deutsch. Geschichte der National-Literatur bis auf Opitz, nach dem eigenen Handbuche; hiernach wurden gelesen die Nibelungen und der arme Heinrich nach Bone's Lesebuche. — Erklärung der Iphigenie und des Tasso von Göthe. — Logik und Psychologie. — Correctur der Aufsätze (alle 4 Wochen 1) und Leitung der freien Vorträge. Wöch. 3 St. Prof. *Hüppe.*
3. Latein. *a)* Cicero de off. I. u. III., 1—15; darauf Tacit. Germania. *b)* Correctur der häuslichen schriftl. Uebersetzungen (wöchentl. 1) und der freien Aufsätze (alle 4 Wochen 1). *c)* Schriftliche Extemporalien und Uebungen im Lateinsprechen. Wöch. 6 St. Prof. *Hüppe.* *d)* Horat. carm. I, II, 1—7, und epist. I, 1—15. Wöch. 2 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
4. Griechisch. *a)* Sophoclis Electra. *b)* Hom. Ilias, IX u. X; XI. XII. XIII. XIV privatim von den Schülern gelesen und dann in der Schule abschnittsweise cursorisch durchgenommen. *c)* Platonis apol. Socr. u. Crito. *d)* Aus Gottschick's Vocabularium die Vocabeln S. 20 — S. 68 memorirt. *c)* Correctur der schriftl. häusl. Uebersetz. aus Rost und Wüstemann's Uebungsb. IV. Curs. oder schriftl. Extemporalien in wöchentl. wechselnder Folge. Zusammen wöch. 6 St. *Der Director.*
5. Französisch. *a)* Aus Menzel's Handbuch der Abschnitt: Entrée et Séjour des Français à Moscou von Ségur dem Jüngern, mit vielfachen grammatischen und etymologischen Erklärungen. *b)* Mündliches Uebersetzen aus dem Deutschen ins Französische nach Probst's Uebungsbuch. *c)* Athalie von Racine, 1. Act; vorher Erklärung des französischen Versbau's und der gewöhnlichsten Regeln der Metrik. *d)* Schriftliche Extemporalien. Correctur der häusl. schriftl. Arbeiten (alle 14 Tage 1). Wöchentl. 2 St. Oberlehrer *Buerbaum.*

6. **Hebräisch.** Repetition der Formenlehre; das Wichtigste aus der Syntax; übersetzt wurden aus Gesenius Lesebuch Num. 5, a—g. Ps. 8, 19, 39, 72, 137. Wöch. 2 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
7. **Geschichte und Geographie.** Nach dem Lehrbuche von Pütz die Geschichte der neueren Zeit bis zum Ende der Freiheitskriege, nebst Repositionen aus der alten, mittlern und der brandenb.-preussischen Geschichte. Repetitionen aus der politischen Geographie Europa's dann und wann in den Geschichtsstunden. Wöch. 3 St. Gymnasiallehrer Dr. *Huperz.*
8. **Mathematik.** *a)* (combinirt mit Unter-Prima.) Die Stereometrie; die Combinatorik. 2 St. — *b)* Wiederholung mehrerer Theile der Elementarmathematik, mehrfache Uebungen. Alle 14 Tage eine häusl. schriftl. Arbeit. Wöch. 2 St. Prof. *Rump.*
9. **Physik.** Die Lehre vom Schall; das Licht; der Magnetismus; die Electrizität. Nach Koppe's Lehrbuch. Wöch. 2 St. Prof. *Rump.*

## UNTER-PRIMA. (Ordinarius: Oberlehrer Dr. *Hillen.*)

1. **Religionslehre.** Mit Ober-Prima.
2. **Deutsch.** Die Logik und im Anschlusse daran von der Rhetorik *a)* aus der Lehre von der Erfindung des genus rationale; *b)* aus der Lehre von der Anordnung die Division und Praktition; *c)* Erklärung des Wilhelm Tell von Schiller; *d)* Correctur der Aufsätze (alle 4 W. 1). Zus. 2 St. Der commissarische Lehrer Dr. *Lenfers.* (Literaturgesch. mit Ober-Prima).
3. **Latein.** *a)* Cic. oratt. pro Milone u. pro Sexto Roscio Amer. *b)* Horat. mit Ober-Prima. *c)* Syntax nach der Gramm. von Middendorf und Grüter, 2. Thl. *d)* Correctur der schriftl. Uebersetzungen aus Teipel's Anleitung, 2. Thl. (wöch. 1) und der freien Aufsätze (alle 4 W. 1.) Schriftl. und mündl. Extemporalien und Uebungen im Lateinsprechen. Zus. 8 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
4. **Griechisch.** *a)* Hom. Ilias I, 1—456; V, VII, 1—200; ferner III, IV, VIII, IX, X privatim von den Schülern gelesen und dann in der Schule abschnittsweise cursorisch durchgenommen. *b)* Xenoph. Memor. Socr. I und II, 1. *c)* Grammatik nach Berger (§§. 292—332). *d)* Aus Gottschick's Vocabularium die Vocabeln S. 1. — S. 56 memorirt. *e)* Schriftliche Extemporalien und schriftl. häusl. Uebersetzungen wie in Ober-Prima. Zus. 6 St. *Der Director.*
5. **Französisch.** *a)* Aus Menzel's Handbuch die Abschnitte „de l'Allemagne" von Frau v. Staël, ausgen. die beiden letzten, mit gelegentlichen etymologischen und vielfachen grammatischen Erklärungen. *b)* Mündliches Uebersetzen aus dem Deutschen ins Franz. nach dem Uebungsb. von Probst. *c)* Schriftliche Extemporalien. *d)* Correctur der häusl. schriftl. Arbeiten (alle 14 T. 1). Zus. 2 St. Oberl. *Buerbaum.*
6. **Hebräisch.** Mit Ober-Prima.
7. **Geschichte und Geographie.** Mit Ober-Prima.
8. **Mathematik.** *a)* (Mit Ober-Prima) die Stereometrie und die Combinatorik. 2 St.

*b)* allein: Wiederholung mehrerer Theile der Elementarmathematik; mehrfache Uebungen, 2 St. Alle 14 T. 1 häusl. schriftl. Arb. Prof. *Rump.*

9. Physik. Mit Ober-Prima.

**OBER-** und **UNTER-SECUNDA.** (Ordinarius: Gymnasiallehrer *Bachoven von Echt.*)

1. Religionslehre. Die Lehre von der christlichen Offenbarung und Kirche, dann Kirchengeschichte. Nach Martins Lehrbuch. 2 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
2. Deutsch. Allgemeine Eigenschaften des Stils; die wichtigsten Regeln der Inventions- und Dispositions-Lehre; Dichtarten; die Lehre von den Eigenschaften derselben an Lectüre geknüpft; Declamationsübungen. Handbuch: Bone's Leseb. 2. Thl. Correctur der Aufsätze. 2 St. Gymnasiall. *Bachoven von Echt.*
3. Latein. *a)* Cic. in Cat. I. II. III. IV. und de amic. — Syntax nach der Gramm. von Middendorf u. Grüter, 2. Thl. Schriftl. Extemporalien nebst Uebungen im mündl. lat. Ausdruck. Correctur der häusl. schriftl. Uebersetzungen aus Schultz's Uebungsb. und (für Ober-Secunda im Sommersemester) der lat. Aufsätze. Zus. 7 St. Gymnasiall. *Bachoven von Echt.* *b)* Virg. Aen. V. u. VI. Prosodische und metrische Uebungen. 3 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
4. Griechisch. *a)* Xenoph. Cyrop. VI. VII, 1—4. Grammat. nach Berger (Syntax §§. 206—220; 266—314; 340 u. 341). — Memoriren von Vocabeln aus Gottschick's Vocabular. — Correctur der schriftl. Extemporalien oder der häusl. schriftl. Uebersetzungen in wöchentlich wechselnder Folge. Zus. 4 St. Commiss. Lehrer Dr. *Lenfers.* *b)* Hom. Odyss. I. II. III. 2 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
5. Französisch. Grammatik nach Knebel: die unregelm. Verben und Syntax §. 64—92 nebst den einschläg. Uebungsbeispielen aus Höchsten's Uebungsb. — Mündl. und schriftl. Extemporalien. Correctur der häusl. schriftl. Uebersetz. (alle 14 T. 1). Voltaire's Charles XII. Buch I. und Buch II. halb. Zus. 2 St. Gymnasiall. *Bachoven von Echt.*
6. Hebräisch. In Ober-Sec. Formenl. nach Gesenius. Uebers. aus Gesenius Leseb. die Absch. 1—5, a. 2 St. Oberl. Dr. *Hillen.*
7. Geschichte und Geographie. Orientalische Geschichte und die Geschichte der Griechen bis zum Tode Alexanders des Grossen; Handb. von Pütz. Alle 14 T. in einer der Geschichtsst. die Geographie von Europa. 3 St. Commiss. Lehrer Dr. *Lenfers.*
8. Mathematik. Flächeninhalt, Aehnlichkeit geradliniger Figuren; der Kreis. Nach dem eigenen Lehrbuche. Wiederholung einiger Theile des frühern Lehrpensums. Alle 14 T. eine häusl. schrift. Arbeit. Zus. 4 St. Prof. *Rump.*
9. Naturlehre. Physikalische Geographie. 1 St. Prof. *Rump.*

**OBER-** und **UNTER-TERTIA.** (Ordinarius: Oberlehrer *Buerbaum.*)

1. Religionslehre. Lehre von den Sacramenten und Sittenlehre, nach Püllenberg's Religionshandb. 2 St. Gymnasiall. *Bachoven von Echt.*

2. **Deutsch.** Die Satzlehre mit Einschluss der Periode, nach Heyse's Leitfaden; einzelne Synonymen; Lesen u. Erklärung von pros. u. poet. Musterstücken aus Bone's Lesebuch 1. Thl., nebst Declamationsübungen. Correctur der Aufsätze (alle 14 Tage 1.) 2 St. Oberl. *Buerbaum.*

3. **Latein.** *a)* Caes. de bello Gall. lib. I, II u. III. 3 St. Grammatik nach Middendorf und Grüter (der 1. Abtheil. 1. und 2. Abschn.; aus dem 3. und 4. Abschnitte das Hauptsächlichste). — Mündl. u. schriftl. Extemporalien. — Correctur der schriftl. häusl. Uebersetzungen aus Schulz's Aufgabensammlung (wöch. 1.) Zus. 7 St. Oberl. *Buerbaum.* *b)* Ovid. metam. (Ausg. v. Nadermann): Diluvium, Phaëton, Cadmus, Ceres et Proserp., Niob. Das Wichtigste aus der Prosodie u. Metrik. 3 St. Prof. *Hüppe.*

4. **Griechisch.** I. In Ober-Tertia: *a)* Aus der Grammat. von Berger die Formenlehre mit Einschluss der gebräuchlichsten unregelm. Verben. — Mündl. Extemporalien aus Rost u. Wüstemann's Uebungsb., 1. Thl. Correctur der häusl. schriftl. Arbeiten (alle 14 T. 1) aus dems. Buche. 3 St. Prof. *Hüppe.* *b)* Xenophont. Anab. lib. I. und Einführung in die Lectüre des Homer (Odyss. v. 1—125). — 3 St. *Der Director.* II. In Unter-Tertia: *a)* Grammatik, so wie mündl. u. schriftl. Uebungen mit Ober-Tertia (s. o.!) allein: *b)* Lectüre, bis Pfingsten aus Jacob's Leseb. 1. u. 2. Cursus; darauf Xenoph. Anab. III, 1—2. 3 St. Prof. *Hüppe.*

5. **Französisch.** Uebersetzung der 1. Abth. von Knebel's franz. Leseb. mit vielfacher Berücksichtigung der Aussprache, der Formenlehre, sowie der hauptsächlichsten Regeln der Syntax. Aus der Formenl. insbes. die regelm. u. unregelm. Verben, nebst Uebersetzung zugehöriger Abschnitte aus Höchsten's Uebungsb. Correctur der häusl. schriftl. Arb. (alle 14 T. 1.) 2 St. Oberl. *Buerbaum.*

